

etiam, multoque magis, testamentariis et heredibus ex pacto, quippe quos, non dubitaveris, legitimis multo propiores vocare.

Quod vero addit MATTHIAS: „*auf ihr Ansuchen*“, habet idoneam rationem, nempe hanc, iudicis non esse, sua sponte, nemineque urgente, lapso legitimo XXXI. annorum spatio, successores convocare, propositis literis publicis. Nam, ut patrimonium absentis ei tantum, quem esse potiorem reliquis omnibus, satis demonstratum est, nec nulli alii, pro herede proximo sese gerenti, addicatur, iudicis non est, providere. Quae res, nisi ope citationis edictalis, clausula peremptoria munita, ne effici quidem posset. Atque hic non minus, quam in reliquis causis, ex actis et probatis sententia ferenda. Itaque iudex, quoniam rerum, ab absente relictarum, persecutio non est dissimilis hereditatis petitioni, mortis praesumtione legitimate demonstrata, ~~iudex~~ primum heredi pacticio, vel testamentario, eoque deficiente, ex legitimis heredibus, ei, qui se cognatum esse ostenderit, atque, concurrentibus cognatis, proximo, bona omnia addicere non prohibetur. Nec scrupulum movere debet, quod sic he-